







389

Canistota S. Melodeon. A Systematical

Classical Manual

44160862



3801441608 62(4)

SIVE  
ASSERTIONES THEOLOGICAE  
DE  
SEPTEM N. L. SACRAMENTIS  
JESU CHRISTO SALVATORI ET SACRAMENTORUM AUTHORI  
D. C. O.  
AUSPICE  
S. ANDREA CORSINO O. N.  
ANNUI NOSTRI STUDII PATRONO.  
PRAESENTE  
R. P. CANDIDO A S. MELCHIORE  
SS. THEOL. LICENT. LECTORE EMERITO ET ACTUALI  
PROPUGNATAE PER R. R. EJUSDEM ORDINIS

MANE A MEDIO 8  
P. FRIDERICUM A S. MELCHIORE.  
P. BASILIUM A S. THOMA.

686  
POST MERID. A MEDIO 2  
P. ALEXANDRUM A S. TELESPHORO,  
P. AUGUSTINUM A S. FERDINANDO.

IN CARMELO COLONIENSI STUDII GENERALIS, DIE 24 APRIL:  
\* S. THOM. PROL. Q. AD ANNIE,

---

COLONIÆ, TYPIS P. J. PAULI ELECT. POSTARUM MAGISTRI.

## DE SACRAMENTIS IN GENERE.

**Q**UIDDITAS SACRAMENTI. Missis frivilis (quas Novatores procuderunt) Sacramenti descriptionibus, illud cum S. Thoma definimus, *signum rei Sacrae, ut sanctificantis nos;* quam notionem cum antiquis tum novis vendicamus Sacramentis: quamquam quod habeant illa ab ipsis differre plurimum, non dissitemus cum Tridentino *sess. 7. can. 2.* EXISTENTIA SACRAMENTORUM. Extitisse de facto in statu innocentiae aliquod Sacramentum, nulla satis firma ostendit ratio; nec ideo tamen credendum est, *& ante datam circumcisio[n]em (in Lege naturae) famulos Dei... nullo Sacramento opitulatos fuisse parvulis suis.* S. Aug. *l. 5. c. Julian c. 11:* quod vero apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud Veteres (in Lege Mosaica) pro his, qui ex Abrahæ stirpe prodierant, mysterium circumcisionis. S. Greg. M. *l. 4 Moral. c. 3.* In Lege nova 7 sunt Sacraenta, eaque nec plura nec pauciora, quorum omnium Christus ipse Dominus unus est auctor, & immediatus: lotioni pedum *Joan. 13* sacramentalē gratiam fuisse annexam, nunquam existimavit Ecclesia, verborum Christi optima interpres. CONSTITUTIVA SACRAMENTORUM N. L. sunt *res tanquam materia, & verba tanquam forma* (Florentinum *in instru[t] Armen.*) ab ipsomet Christo determinata; quorum proin mutatio theologice substantialis irritum reddit Sacramentum: neque verba, quibus ex institutione Divina in Sacramentorum confectione utimur, sunt pure *catechetica, aut promissoria* (ut blaterant Heterodoxi Sacramentorum natūram & indolem non ad Christi voluntatem, sed ad fanaticam suam bolidem ubi ubi occasio tulerit, explicantes) sed vere *consecratoria*, quae nonnisi petulantissime daemonicis aequiparantur incantationibus. EFFICACIA SACRAMENTORUM NOSTRORUM. Causant illa vere & proprie gratiam, quam significant, & quidem *ex opere operato* (*Trident. sess. 7. can. 8.*) seu per virtutem ex infinitis Christi meritis & passione in se derivatam; quanquam propterea dispositionem in subiecto capaci non excludant, quin exigant & subpoant ita: ut si hae aequales sint, aequalem Sacraenta solo numero distingua; si inaequales sint, inaequalem; Sacraenta vero diversa inaequalem subiectis etiam aequaliter dispositis conferant gratiam. Inanes igitur larvae sunt, quas fingunt *Sectarii*, nobis exprobrantes: tanquam aut Sacramentis energiam naturalem elargiendi gratiam tribueremus, aut Sacraenta principes gratiae causas statueremus, aut bonas in suscipientibus dispositiones eliminaremus. Demum Sacraenta sicutem characteristica cum obice suscepta, eo sublati, reviviscunt. EFFECTUS SACRAMENTORUM N. L. Praecipuus est gratia sanctificans vel *prima*, correspondens Sacramentis mortuorum; vel *secunda*, propria Sacramentis vivorum; licet ista per accidens gratiam secundam, illa primam causare valeant: gratia Sacramentalis superaddit communiter dictae speciale perfectionis vigorem, radicantem jus ad peculia auxilia suo tempore conferenda, & pro attingendo cuiusvis Sacramenti fine requisita. Praeter principem hunc effectum producunt Sacramentorum nostrorum non omnia quidem, sed quaedam tamen (ut baptismus, Confirmatio. & Ordo; unde ea iterari non possunt, Trident. sess. 7. can. 9.) effectum adhuc alium, scilicet

activa. MINISTER SACRAMENTORUM. N. L. Princeps est Christus, a quo maxima virtutem nanciscuntur suam, edocente nos Praecursore Domini: *Hic est, qui baptizat in Spiritu S. Joan.* I. 33. Ministerialiter Sacraenta conficiunt illi, quos Christus delegit dispensatores mysteriorum Dei. 1. Cor. 4. Unde falluntur & in dogmate errant, quotquot Christianos omnes Sacraenta quaelibet conficiendi potestatem habere arbitrantur; peius & ad horrorem insaniente *Luther*, dum quin adeo diabolum effutit Sacramentorum legitimum administrum. Porro ad validum Sacramenti ministerium non requiritur ministri seu fides, seu probitas; attamen seria intentio faciendi, quod facit Ecclesia, ita: ut non sufficiat ea, quam adpellant, *externa*, sed necessaria sit *interna*, ponendi ritum externum ut saltem in Ecclesia sacram & religiosum. SUBJECTUM SACRAMENTORUM. Est secundum praesentem institutionem omnis & solus homo viator, etiam reprobis, non tamen quilibet quorumlibet: in infantibus aut perpetuo amentibus nulla, in adultis aliqua (habitualis saltem aut interpretativa) intentio ad Sacramenti valorem requiritur, ita: ut Sacramentum invalide recipiat non solum relutans, sed & neutraliter se habens. Peccatori occulto publice petenti denegandum non est Sacramentum, repellendum statim est peccator publicus, sive palam sive clam petierit. SACRAMENTALIA. Usus horum antiquissima Ecclesiae praxi comprobatur: nec minus utiles & laudandae sunt *caeremoniae*, quas Sacraenta conficiens & ministrans observat Ecclesia, quidquid eas adlatrent HH. phalanges.

## DE BAPTISMO.

Baptismus Christi (ab illo Joannis & natura & efficacia diversus) non est aut nuda Christianae professionis tessera, ut volunt *Remonstrantes*, aut publicum praecise initiationis signum, quo in Ecclesiae cooptamur societatem; sed verum est N. L. Sacramentum regenerationis in lavacro aquae, & verbo vitae Ephes. V. 26, institutum a Christo, quando in Jordane baptizatus fuit. Materia baptismi *remota* non est, quidquid balnei loco habetur, ut placuit *Luther*; sed sola aqua naturalis: proxima est ablutio facta seu per affusionem, seu immersionem, seu aspersionem, eamque vel trinam vel unam; perperam proin ob praetermissum trinae immersio- nis ritum Latinam Ecclesiam violati praecepti Dominici ream expostulantibus Graecis Schismaticis. Forma baptismi sunt verba Christi Matth. 28. ita, ut baptismus in solo nomine Christi collatus nec valeat modo, nec valuerit unquam. Quanquam Episcopos primas in baptismatis ministerio habere partes, compertum sit ex Matth. 28; ordinariam tamen hanc potestatem ad Presbyteros quoque extendi, Ecclesiae traditione condocemur; quin Diaconos solemnis etiam baptismi extra saltem ordinem ministros esse constat ex Act. 8.: imo ob summam hujus Sacramenti necessitatem sicut illud in obvio & communi elemento Christus instituere, ita illius conferendi potestatem, urgente mortis periculo, mortalium nemini denegare voluit; ne quisque sine remedio salutari de saeculo evocetur. Gelas. P. ad Lucan. Epis.

Validum

tum, delirant *Mennonistae*: pessimum Erasmi circa baptizatos in infantia, cum ad rationis usum pervenerint, interrogandos consilium merito ad tenebras damnarunt PP. Tridentini *sess. 7. can. 14.* Proles infidelium Christiano principi solum civiter subditorum (extra causas & circumstantias a S. Thoma assignatas) invitatis parentibus sacro fonte lustrare, nullatenus licitum est. Necessitas baptismi tanta est, ut absque eo in re suscepto aeternam salutem quorumvis infantium consequatur nemo; in errore igitur versantur *Calviniani* assertentes, fidelium filios jam ante adeptam baptismi gratiam esse sanctos: quanquam Divina ordinatione constitutum sit, ut adultus quilibet aquae baptismio privatus ardenti ejusdem voto vel martyrio salutem obtainere queat. Effectus baptismi Christi sunt remissio peccatorum tum originis, tum propriae voluntatis ante baptismum commissorum, quoad culpam & totam poenam etiam temporalem; infusio gratiae sanctificantis ac spiritualiter regenerantis, una cum jure ad specialia auxilia &c. Ratiocinium, quod hic Constantino M. ad finxit *Voltairius*, quam historiae veritati contrarium, tam optimi Imperatoris religioni injuriosum est.

## DE CONFIRMATIONE.

**E**st illa non Melchiadis P. inventum, ut garriunt Centuriatores, sed veri nominis Sacramentum. Trident. *sess. 7. can. 1.* Materia illius *remota* est chrisma ab Episcopo benedictum, *proxima* est conjunctive uncio chrismatis, & impositio manus, forma tam Latinorum, quam Graecorum est legitima. Minister Confirmationis autoritate propria est solus Episcopus, potestate tamen delegata est etiam secundi ordinis Sacerdos. Subiectum Confirmationis est omnis & solus homo baptizatus necdum confirmatus. Effectus hujus Sacramenti praecipuus est per se gratiae sanctificantis augmentum, atque speciale robur Spiritus S. &c.

---

## THESES POMERIDIANAE. DE EUCHARISTIA.

**U**T SACRAMTUM, est prae reliquis N. L. Sacmentis praestantissimum, non obstante specierum heterogenearum diversitate unum, a Christo Luna 14 Mensis Nisan desinente institutum. Materia illius, quoad *primam* consecrationem saltim valida est panis triticeus, sive azymus sive fermentatus; *Michaële* proin *Cerulareo* & *Marco Ephesino* &c. latinum morem perperam, & contra ipsius Christi exemplum Matth. 26. incusantibus: *secundae* consecrationis materia est vinum vitigineum, cui tamen de necessitate non Sacmenti, sed praeepti, ejusque solum ecclesiastici, admiscendum est modicum aquae, una cum vino in Christi sanguinem convertendae. Forma Eucharistiae sunt verba Evangelica, non mere historice, sed significative proferenda. Minister Eucharistiam conficiens est solus Sacerdos. Subiectum Eucharistiae capax est quivis per baptismum regeneratus, servanda tamen Ecclesiae disciplina, quae pro temporum varietate non semper erat una. Dispositiones

que specie aut D. habere praeceptum , aut au<sup>t</sup> iudicem eis necessarium , tamen  
tinaciter propugnant *Novatores* ; qui dum contra Christi institutionem nolunt spe-  
ciem unam , perdunt utramque , Aesopi cane infeliores . **EUCARISTIA UT TES-  
TAMENTUM** . Solemnis promissio , publica & authentica donatio , & diurna , ac a  
factae donationis tempore interrupta nunquam ac quieta possessio , sunt tria mo-  
menta ; quies homines rem suam adversus quosvis litigantes efficacissime propug-  
nant : quidni contra *Novatores* (divinissimi , hocce in Sacramento , depositi haere-  
ditarii veritatem impugnantes) invicto praeescriptionis munimento vallata triumphet  
catholica Ecclesia ? Promisit sane suae Ecclesiae Christus suum corpus in cibum , &  
sanguinem in potum . *Ioan.* 6. dedit de facto & reliquit suae sponsae , quod pro-  
misit , *Matth.* 26. *Marc.* 14. *Luc.* 22. Eo ex tempore hoc *Sanctum Domini* , *Sa-*  
*cramentum Sacramentorum* (*S. Basil. Epist. ad Amphiloch.*) possedit Ecclesia , ut ple-  
nius confirmat Paulus *i Cor.* 11 , ac evincunt tum constans ac perpetua PP. tra-  
ditio , tum innumera fere miracula &c. litis ergo novitia contestatio contra mille  
& tot centenorum annorum possessionem mota transit c *Sacramentarios* in rem ju-  
dicataum , scilicet : *in alvo S. Eucharistiae Sacramento* , post panis & vini consecra-  
tionem , *D. N. J. C.* verum Deum atque hominem vere realiter ac substantialiter  
sub specie illarum rerum sensibilium contineri . Trident. *Seß. 12. can. 1.* Est au-  
tem Christus statim post consecrationem in Eucharistia permanenter , & sine rema-  
nente ulla panis & vini substantia praesens , quamdiu manent species ; unde qui-  
libet , nisi coecus , facile perspexerit : quam infrunit Catholicis exprobrent *Setta-  
rii* , quod Sacrosanctum hoc Sacramentum solemnii pompa circumferamus , Deum  
que hominem ibi absconditum latreutice adoremus . Interim licet totus & integer  
Christus sit hoc in Sacramento sub qualibet specie seorsim , & sub qualibet specie-  
rum parte (seu divisae eae sint , seu continuae) non omnia tamen Christum consti-  
tuentia sunt eadem ibi ratione ; sed alia vi verborum , alia per concomitantiam ,  
ita : ut *Corpus Christi* sit sub specie panis , & sanguis sub specie vini , ex vi ver-  
borum ; ipsum autem corpus sit sub specie vini , & sanguis sub specie panis , anima-  
que ipsius sub utraque specie , ex vi naturalis connexionis . . . *Divinitas vero* , propter  
admirabilem illam ejus cum corpore & anima hypostaticam unionem . Trid. *Seß. 13.*  
c 3. **EUCARISTIA UT SACRIFICIUM** . Externa quoque sacrificia ipsi mundo coae-  
va , in statu Legis tam natræ quam Mosaicae præscripta , Deoque rata & accepta  
fuisse , comperimus est ; quidni igitur , antiquis abrogatis sacrificiis , perfectioris  
multo Legis conditor Christus novum instituerit sacrificium , quod utilitate & ex-  
cellentia , omnia quæ prius fuerant , longe antecelleret ? Est autem illud *N. L.*  
*verum & proprium Sacrificium* non aliud , quam quod *in missa offertur* (Trident.  
*Seß. 22. can. 1.*) in Melchisedechi Sacrificio *Gen.* 14. præfiguratum , a propheta  
regio *psalm.* 104. & Malachiae vaticinio c. 1. prænuntiatum , ab ipsomet Christo  
in prima Eucharistiae institutione *Matth.* 26. tanquam aeterno secundum ordinem  
Melchisedech fæcere oblatum , inque sui commemorationem fieri deinceps manda-  
tum , fidei hinc Apostolorum ministerio *Act.* 13. v. 3. & propagata ad nos usque  
pia

**DOCTRINA** SACRAMENTIS MAGNIS DISCIPULUS *Juggeſum fuiffe ac persuafum, missae ſacrificium abrogandum eſſe. Continentur in auguſtissimo hoc N. L. ſacrificio eminentiſime omnia L. V. ſacrificia, ſiquidem latreuticum eſt, eucharifticū, impetratorium, & pro vivis ac defunctis propitiatorium. Eſſentia ejusdem in ſola conſtitit confeſſatione, cum ordine tamen ad ſumtionem. Princi-palis offerens hujus Sacrificii eſt Christus ipſe, qui idem cum ſit res etiam oblata; nequit non missae Sacrificium eſſe ratione valoris & pretii infinitum, quanquam ratione effectus & applicationis, Deo ita volente ac diſponente, finitum ſit. *Chem-nitii, exam. Conc. Trid. p. 2. cap. 3.* animadverſio, dixiſſe Christum: *Hoc facite in meam, non in Sanctorum, commemorationem, stupida eſt;* cum Catholicorum nemo ita unquam deſipuerit, ut cultum ſummum ſoli Deo debitum tribueret Sanctis; quanquam in Sanctorum honorem, ſed ſoli Deo immolet Ecclesia, ut docet Trident. *Seſſ. 22. c. 3.* Non minus iuſuſe miſſas privatā ſtanquam Christi iuſtitutioni adverſantes criminantur *Acatholici*, qualiter & linguae latinae in miſſa uſum ſuggillant alii.*

## DE POENITENTIA.

**V**erum eſt N. L. Sacramentum, a baptismo diuinctum, a Christo a mortuis re-divivo institutum; quo peccata poſt baptismum admissa, Sacerdotum potestate vere judiciaria, ita remittuntur: ut nullum ſit mortalium, quod abolitum redeat ſimpliciter, aut ad cuius quantumvis enormis deletionem ſe non extendat; quanquam ordinarie poſt reatum culpae & poenae aeternae dimiſſum remaneat reatus poenae temporalis, adhuc in hac vel altera vita luendae. Eſt hoc Sacramentum omnibus poſt baptisma graviter lapsis necessarium, neceſſitate tum *medii* (vel in re, vel in voto ſaltem) tum *praecepti*, & Divini (non illico tamen poſt admissum mortale obligantis) & Ecclesiastici, per canonem *Omnis utriusque*; cui tamen non ſatiſfit per confeſſionem ſacrilegam, attamen doloroſam cuivis adprobato Sacerdoti factam. Materia hujus Sacramenti circa quam, eaque *neceſſaria*, ſunt peccata mortalia ne- dum legitime confeſſa (ſeu certa, ſeu positive dubia) eaque ſecundum numerum, ſpeciem, imo circumſtantias ſpeciem notabiliter aggravantes: *libera* ſunt peccata ve-nialia, aut etiam mortalia Ecclesiae jam clavibus ſubjecta, & remiſſa. Materia ex qua ſunt actus poenitentis: ut Dolor, iſque ſupernaturalis, universalis, amori benevolentiae ſaltem initiali, & efficaci junctus proposito, eoque ordinarie formalis & explicito (quo proposito vel implicito cum careant viſcoſi pecca-tores, ut conſuetudinarii, recidiui, in proxima occaſione voluntarie verſantes, nec tamen emendati; nedum neceſſitas, quin gratia eſt, abſolutionis gratiam iuſdem de-negare) Confeſſio, eaque iuſtituti non humani, ſed Divini; facta Sacerdoti praeſenti, ac veſtita notis dobiſbus, quas inter praecipua eſt integritas ſaltem formalis (quanquam abſelvi poſſit moribundus non potens verbaliter confiteri, imo ne edere poenitentiae ſigna, dummodo christiane vixerit) & Satisfactio, non tamen neceſſario ante abſolutionem perſolvenda, a poenitente equidem (ſi rationabilis & proportionata pecca-

*ad instar actus judicialis*, Trident. *Sess. 14. can. 9.*) ex quo formam simpliciter deprecatoriam hoc in Sacramento concludimus invalidam. Porro absolutionem debere esse verbalem, insinuat Florentinum, & universae Ecclesiae docet praxis. Minister hujus Sacramenti nec est laicus, nec olim in necessitatis casu erat Diaconus, sed solus est Sacerdos habens praeter potestatem Ordinis & aliam jurisdictionis; quam pia mater Ecclesia subplet in errore communi cum titulo colorato. Demum cum hoc Sacramentale judicium sit adeo gratiosum & secrem, ut ne Deus velit recordari amplius expiatarum hoc in foro iniquitatum; hinc ob nullam causam (sola seclusa poenitentis licentia, eaque expressa & spontanea) permisum est Sacerdoti, audita in confessione Sacramentali peccata seu di - seu indirecte revelare. *Voltae-*  
*rius in Diction. philos.* afferens, Gregorium XV. confessionis (ut eam invisam redat) certis in casibus revelationem decrevisse, suo more hallucinatur.

## DE EXTREMA UNCTIONE.

**U**nctio infirmorum veri nominis Sacramentum est a Christo Domino institutum, apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum, fratrem Domini, fidelibus commendatum & promulgatum. Trident. *Sess. 14. c. 1.* Materia illius *remota* est oleum ex olivarum baccis expressum, *proxima* est ipsa unctione: utrum vero istud de necessitate Sacramenti debeat esse ab Episcopo benedictum; illa autem quintuplex? cum sit incertum, obtinet hic decretum Innocentii XI. Firma ejusdem est oratio deprecativa, quae tamen obin dicenda non est concionalis. Minister est solus Sacerdos, isque sufficit unus. Subjectum est solus baptizatus periculose infirmus, non sunt tamen pueri, qui non peccaverunt per vim, auditum &c. S. Thom. Effectus primarius est gratia sanans peccatorum reliquias, & contra morbi incommoda ac doemonum insultus mirifice confortans: secundarius est corporalis sanatio, quae tamen non semper sequitur ex hoc Sacramento; quia ratio operans nunquam secundarium inducit effectum, nisi secundum quod expediat ad principalem. Idem D. Angelicus.

## DE ORDINE.

**O**rdinem verum esse Legis Evangelicae Sacramentum vetustas ecclesiastica omnis propugnavit, & novissime definivit Trident. *Sess. 23. can. 3.* Septem sunt Ordines, quorum alii dicuntur *Miores* seu Sacri (quibus convenientissime annexuit Ecclesia debitum perpetuae continentiae in reverentiam sacerditarum, ad quas deputant, functionum: quidquid obganniant *Lutherus*, *Calvinus*, aliique indisciplinati lasciviae patroni) alii *Minores* seu non sacri: eos inter Ordines Sacerdotium saltem vere Sacramenti rationem obtinere, Catholicorum concors fides & consensus est (est autem Sacerdotium duplex, *commune* seu Presbyteratus simplex, & *magnum* seu Episcopatus, quem ab isto, ex ipsa D. institutione, autoritate & honore distinctum c. *Puritanos* defendimus ex Trident. *Sess. cit. can. 2.*) Diaconomatum quoque ex Christi institutione signum esse efficax gratiae, sacris litteris *act.*

*FRE*  
Sacramenti esse E piscopum, res est solidissimis S. Scripturarum ac PP. authoritatibus  
munita; quamquam simplicem etiam Sacerdotem ex R. Pontificis dispensatione pos-  
se confiram, minores Ordines, imo Subdiaconatum (secus Presbyterarum, & Dia-  
conatum) administrare, exploratum sit. Subjectum ordinationis est solus mas bap-  
tizatus, neutiquam mulier, quam in Ecclesia tacere jubet Apostolus 1. Cor. 14.  
Diaconiarum olim ordinatio non erat Sacramentalis, & quod de Joanna quadam  
inter Leonem III. & Benedictum IV. summo pontificatus honore insignita, ad con-  
fandam Rom. Sedi invidiam, ostendere conatur Spanheimius; putidissima vel ipsis  
Heterodoxorum sapientioribus fabella est. Effectus demum Ordinis sunt gratia se-  
cunda, & character, quo a caeteris fidelibus secernuntur, qui hoc Sacramento ex-  
ornantur, & D. cultui peculiari ratione mancipantur.


## DE MATRIMONIO.

MATRIMONIUM UT CONTRACTUS est legitima maris & foeminae conjunctio, indivi-  
duauitiae consuetudinem retinens. Institutio illius a Deo est, naturali consonans  
legi; quidni ergo matrimonium res sit licita & honesta? quin ratione aliqua cadit sub  
praecepto, quod tamen aequalem nec semper nec omnibus ingessit hominibus obli-  
gationem ita: ut multiplicato sufficenter genere humano liberum fuerit tunc, & mo-  
do sit cuilibet, uxorem non habere; imo hoc ipsum sanctius est & perfectius, ut  
docet Apostolus. Jus, quod sibi conjuges tradunt in corpora, non debet necessario  
esse proxime expeditum, unde valuit matrimonium Liliatorum sponsorum B. V. &  
S. Jos. non obstante emissio utrinque castitatis voto, eoque etiam in paestum deducto.  
Validum in ratione contractus matrimonium, est in L. N. etiam SACRAMENTUM  
magnum in Christo & in Ecclesia Eph. 5. habens pro Materia proxima traditionem  
corporum, pro forma sensibilem ejusdem traditionis acceptationem, pro Ministris  
ipsosem contrahentes; qui illud etiam absentes administrare, aut rationem Sacra-  
menti a contractu separare valent. Est ex sua natura, & adnexa insuper dignitate Sa-  
cramenti, indissoluble (etiam adulterii causa) nisi consummatum infidelium ex con-  
versione unius, & ratum infidelium per professionem solemnem; utrumque ex Christi  
privilegio: sicut & dispensante Deo, in vim repudii, dissolutum tunc apud Judaeos  
fuisse volumus matrimonii vinculum ita, quod mulier repudiata licite & valide al-  
teri nubere potuerit. Effectus hujus Sacramenti est gratia secunda cum jure ad  
specialia auxilia, pro consequendo & salubriter retinendo triplici matrimonii bono,  
ejusque oneribus nec numero paucis nec pondere levibus sufferendis necessaria.  
Tandem anathema dicimus cum Trident. afferentibus: Ecclesiam non potuisse consti-  
tuere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in eis constituendis errasse. Sess. 24.  
can. 4. Item causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos ibid. can. 12.  
non ergo aut illegitima usurpatione, aut mera Principum indulgentia & remissione,  
ius illud devenit ad Ecclesiam; quemadmodum existimavit Launoius, cuius novum  
praeterea & inauditum haecenus figmentum est, dum per Ecclesiam (cui praefatam  
facultatem afferuit Trident.) Reges & Princes intelligi debere contendit.

O. A. M. D. G.

380/44/60862(7)

X13<4460862700010



+ colorchecker CLASSIC

